Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1065
Quelle:
Copyright:

exeuntis Scriptoris depromta ex *Augustini Lib. III. de Doctr. Christ.* c. 30. edit. *Maur.* T. III. *col.* 57. hoc initio: *Tichonius quidam qui contra donatistas inuectissime* (invict.) *scripsit, cum fuerit donatista* &c. Omissae sunt in *Cod.* quaedam Textus *Augustini* περικοπαι, interim is lectiones quasdam non spernendas offert. Ita *Reg.* 1. ἄλογον illud *non creditur ab una eademque persona* sic emendat, *non receditur. Reg. 2. mala* (pars) *permixta* habet pro *male permixta*, item *signentur* pro *significentur. Reg.* 3. *disserendo bene sed non plene* pro *dissolvenda* aut *disserenda*, item *ex qua mensura* pro *ex qua sententia* &c. Quae Lector expendat. Ipsae ceterum *Tichonii Regulae* prostant in *Bibl. PP. Lugd.* T. VI. p. 49. deque Autore inter alios agit *Oudinus de Scriptt. Eccl.* T. I. *col.* 889.

CCLXXXVII. VIII H. 23

752 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 100. 8. probe scriptus, miniatus, picturatus, olimque *Wenc. Rossii* Sacerdotis *Bohemi* sequentia complectitur: I. *Incipiunt Exhortationes Anzhelmi pro bona vita.* Initium: *Quid agis o homo qui quasi iumentum versaris in mundo* &c. In edit. *Paris.* Opp. omn. inscriptae sunt: *Exhortatio ad contemptum temporalium et desiderium aeternorum*, p. 190. 1721. f. Ad calcem addidit Librarius: *Finit tractatulus feria II. in vigilia Symonis et Jude in Collegio Regine anno 14LXXXIII°. Et eadem die Serenissimi principes et domini. Domini videlicet dominus Hinko et Henricus et domini trczkones cum dominis pragensibus et domino episcopo Augustino venerunt pragam quasi hora XXI^a.* Nescio, quis sit *Princeps Hinko*, nisi *Victorinum Münsterbergensem* intelligas. *Augustinus* Episcopus ille est *Lucianus* ex *Italia* a. 1482. in *Bohemiam* delatus utraquisticarum partium, defunctus *Pragae* a. 1493. ut notant *Lupacii Ephemerid.* ad diem 7. *Martii.* Demum observa Horologium *Italicum*, quod in *Bohemia* nondum penitus exolevit.

II. *fol.* 8. *Alius tractatulus Beati Ambrosij de moribus.* Init: *Dilecte fili. dilige lacrimas* &c. Epistola ad *Florianum* subposita *Ambrosio*, et in edit. *Maur. Paris.* 1690. merito rejecta ad T. II. *col.* 488. f. Huic quoque subscripsit Librarius: *Finitus in die Symonis et Jude et eadem die fuerunt illustrissimi principes dominus henricus et dominus hynko. Dominus Episcopus Augustinus. Domini Trzkones Swoyanowsky* (Gessek) *et communitas pragensis omnium trium ciuitatum et multi alij domini in Collegio magno et in crastino equitauerunt Coloniam nouam.* Id est *Colinium Leopoldi Daunii* victoria a. 1757. nobilitatum.

III. *fol.* 9. *Tractatus Beati Ieronimi quem scripsit Paulino monacho de temperantia.* Fragmentum potius *Epistolae* T. I. edit.